

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 8129

**Auteur(s) :** Emmeline, veuve de Guillaume Biseth [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1253

**Lieu d'émission :** Bonsmoulins

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Emmeline, veuve de Guillaume Biseth, abandonne à l'abbaye de la Trappe, moyennant une somme de cent sous tournois, tous ses droits sur une maison sise à Bonmoulins et sur cinq arpents de terre litigieux entre elle et ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, N. « De Molinis et Bonmolinis », n° XXXI, p. 372.

Texte établi d'après a

Ego, Emmelina, relicta defuncti Guillelmi Biseth, notum facio universis, presentibus et futuris, quod, cum contentio esset inter me et dictum Guillelmum, dum adhuc viveret, ex una parte, et abbatem et conventum Domus Dei de Trappa, ex altera parte, in curia domini regis apud Bomolins, in assisia, super eo, quod dicebamus contra dictos abbatem et conventum quod tradideramus ipsis in vadimonium quamdam domum sitam juxta introitum porte de Molins per quam itur de burgo ad ecclesiam Beati Nicholai de eadem villa, et quinque jugera terre, sita apud Dispensariam, et peteremus ab eisdem, predicta ratione pignoris et feodi, tamdem ego, predicta Emmelina, post decessum predicti Guillelmi, quondam mariti mei, de bonorum virorum consilio, ego et dicti abbas et conventus, dictam contentionem pacificavimus in hunc modum: quod dicti abbas et conventus dederunt michi centum solidos turonensium, quos habui ab eis integre et recepi, et ego predictas domum et terram, et totum jus quod dicebam me habere et quod habere possem quocumque modo seu qualicumque ratione in eisdem, dimisi eis penitus et quitavi; ita quod nec ego, nec heredes mei poterimus in eis aliquid de cetero reclamare, sed tenemur et amodo tenebimus eisdem ego et heredes mei omnia predicta garantizare et defendere contra omnes et ab omnibus liberare et omnia dampna, si aliqua sustinuerint, et sumptus omnes quos fecerint, in placitis vel extra placita, propter effectum nostrum garantizandi et defendendi predicta, eis plenarie satisfacere de eisdem, ad dictum unius de suis monachis, facto prius ab eodem sacramento, sive altera probatione, et restaurare. Ad hec autem tenenda et agenda omnia predicta, ego obligavi me et heredes meos et omnia bona mea, mobilia et immobilia, presentia et futura, predictis abbati et conventui per corporale juramentum, a me sibi prestatum, et per presentem cartam, quam dedi ipsis, sigilli mei munimine roboratam. Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo tertio, in assisia de Bomolins.